

FABRIZIO AMERINI



# Aristotele, Tommaso e la natura della materia

Padova, 22 aprile 2021

***Scriptum super Sententiis, I, d. 36, q. 2, a. 3, ad 2, ed. Mandonnet, I, 844-845***

Ad secundum dicendum quod cum materia prima a Deo sit, oportet ideam eius aliqualiter in Deo esse; [i] et sicut attribuitur sibi esse, ita attribuitur sibi idea in Deo, quia omne esse in quantum perfectum est exemplariter ductum est ab esse divino. [ii] Esse autem perfectum materiae non convenit in se, sed solum secundum quod est in composito; in se vero habet esse imperfectum secundum ultimum gradum essendi, qui est esse in potentia, [iii] et ideo perfectam rationem ideae non habet nisi secundum quod est in composito, quia sic sibi a Deo esse perfectum confertur; in se vero considerata habet in Deo imperfectam rationem ideae. Hoc est dictu quia essentia divina est imitabilis a composito secundum esse perfectum, a materia secundum esse imperfectum, sed a privatione nullo modo. Et ideo compositum, secundum rationem suae formae, habet perfecte ideam in Deo, materia vero imperfecte, sed privatio nullo modo.

*Quaestiones de veritate*, q. 3, a. 5, ed. Leonina 22/1.2, 111-112,28-55

Plato, qui invenitur primo locutus fuisse de ideis, non posuit materiae primae aliquam ideam quia ipse ponebat ideas ut causas ideatorum, materia autem prima non erat causatum ideae sed erat ei concausa [...]. Nos autem ponimus materiam esse causatam a Deo, unde necesse est ponere quod aliquo modo sit eius idea in Deo, cum quicquid ab ipso causatur similitudinem ipsius utcumque retineat.

Sed tamen si proprie de idea loquamur, non potest poni quod materia prima habeat per se ideam in Deo distinctam ab idea formae vel compositi, quia idea proprie dicta respicit rem secundum quod est productibilis in esse, materia autem non potest exire in esse sine forma nec e converso, unde proprie idea non respondet materiae tantum neque formae tantum, sed toti composite respondet una idea quae est factiva totius et quantum ad formam et quantum ad materiam.

Si autem large accipiamus ideam pro similitudine vel ratione, tunc illa possunt per se distinctam habere ideam quae possunt distinete considerari quamvis separatim esse non possint, et sic nihil prohibet materiae primae etiam secundum se ideam esse.

*Quaestiones de veritate*, q. 3, a. 5, ad 1, ed. Leonina 22/1.2, 112,56-61

Ad primum igitur dicendum, quod quamvis materia prima sit informis, tamen inest ei imitatio primae formae: quantumcumque enim debile esse habeat, illud tamen est imitatio primi entis et secundum hoc potest habere similitudinem in Deo.

*Quaestiones de veritate*, q. 21, a. 2, ad 3, ed. Leonina 22/3.1, 597,117-119

[...] sicut materia prima est ens in potentia et non in actu, ita est perfecta in potentia et non in actu.

*Quaestiones de veritate*, q. 2, a. 5, ad 12, ed. Leonina 22/1.2, 60,123-125; 64,393-398

materia prima habet minimum de esse. Ergo Deus materiam non cognoscit, cum secundum se sit incognoscibilis [...] Ad duodecimum dicendum, quod illa quae habent deficiens esse, secundum hoc deficiunt a cognoscibiliitate intellectus nostri, quod deficiunt a ratione agendi; non autem ita est de intellectu divino, qui non accipit scientiam a rebus.

***Summa contra Gentiles*, II, c. 16, ed. Marietti, 126, n. 943**

Materia prima *aliquo modo* est: quia est ens in potentia. Deus autem est causa omnium quae sunt [...]. Deus igitur est causa materiae primae.

***Quaestiones de potentia*, q. 3, a. 1, ad 13, ed. Marietti, 41**

Et sic etiam patet responsio ad decimumtertium. Nam proprie loquendo, materia non habet ideam, sed compositum, cum idea sit forma factiva. Potest tamen dici esse aliquam ideam materiae secundum quod materia *aliquo modo* divinam essentiam imitatur.

***In XII libros Metaphysicorum Expositio, VII, lec. 2, ed. Marietti, nn. 1285, 1291-1293***

Deinde cum dicit “dico autem”. Quia ratio praedicta ostendens solam materiam esse substantiam, videtur processisse ex ignorantia materiae, ut dictum est; ideo consequenter dicit, quid sit materia est secundum rei veritatem, prout declaratum in primo *Physicorum* [...]. Dico autem materiam esse “quae secundum se” idest secundum sui essentiam considerata nullatenus est “neque quid, idest neque substantia, “neque qualitas, neque aliquid aliorum generum, quibus ens dividitur, vel determinatur” [...].

Deinde cum dicit “sed impossibile” ostendit contrarium huius conclusionis; dicens, quod impossibile est solam materiam esse substantiam, vel ipsam etiam esse maxime substantiam. Duo enim sunt, quae maxime propria videntur esse substantiae: quorum unum est, quod sit separabilis [...]. Aliud est, quod substantia est hoc aliquid demonstratum. [...] Haec autem duo, scilicet esse separabile et esse hoc aliquid, non convenientur materiae. Materia enim non potest per se existere sine forma per quam est ens actu, cum de se sit in potentia tantum; ipsa etiam non est hoc aliquid nisi per formam per quam fit actu. Unde esse hoc aliquid maxime competit composito.

Et ideo patet “quod species”, idest forma, et “compositum ex ambobus”, scilicet ex materia et forma, magis videtur esse substantia quam materia; quia compositum et est separabile, et est hoc aliquid. Forma autem, etsi non sit separabilis, et hoc aliquid, tamen per ipsam compositum fit ens actu, ut sic possit esse separabile, et hoc aliquid.

***In XII libros Metaphysicorum Expositio, VII, lec. 10, ed. Marietti, n. 1496***

Materia, quae principium est individuationis, est secundum se ignota, et non cognoscitur nisi per formam.

*Summa theologiae*, I<sup>a</sup>, q. 15, a. 3, arg. 3 e ad 3, ed. Leonina 4, 204

Praeterea, Deus cognoscit materiam primam, quae non potest habere ideam, cum nullam habeat formam. Ergo idem quod prius. [...]

Respondeo dicendum quod, cum ideae a Platone ponerentur principia cognitionis rerum et generationis ipsarum, ad utrumque se habet idea, prout in mente divina ponitur. Et secundum quod est principium factionis rerum, exemplar dici potest, et ad practicam cognitionem pertinet. Secundum autem quod principium cognoscitivum est, proprie dicitur ratio; et potest etiam ad scientiam speculativam pertinere. Secundum ergo quod exemplar est, secundum hoc se habet ad omnia quae a Deo fiunt secundum aliquod tempus. Secundum vero quod principium cognoscitivum est, se habet ad omnia quae cognoscuntur a Deo. [...]

Ad tertium dicendum quod Plato, secundum quosdam, posuit materiam non creatam, et ideo non posuit ideam esse materiae, sed materiae concausam. Sed quia nos ponimus materiam creatam a Deo, non tamen sine forma, habet quidem materia ideam in Deo, non tamen aliam ab idea compositi. Nam materia secundum se neque esse habet, neque cognoscibilis est.

*Summa theologiae*, I<sup>a</sup>, q. 7, a. 2, ad 3, ed. Leonina 4, 74

Ad tertium dicendum quod materia prima non existit in rerum natura per seipsam, cum non sit ens in actu, sed potentia tantum: unde magis est aliquid concreatum, quam creatum.

***Super Boetium de Trinitate, q. 4, a. 2, ed. Leonina 50, 123,90-102***

Cum autem genus sit principium cognoscendi, utpote prima diffinitionis pars, materia autem secundum se sit ignota, non potest secundum se ex ea accipi diuersitas generis, set solum illo modo quo cognoscibilis est. Est autem cognoscibilis dupliciter: uno modo per analogiam siue per proportionem, ut dicitur in I Phisicorum, hoc est ut dicamus illud esse materiam, quod hoc modo se habet ad res naturales sicut lignum ad lectum; alio modo cognoscitur per formam, per quam habet esse in actu: unumquodque enim cognoscitur secundum quod est in actu et non secundum quod est in potentia, ut dicitur in IX Metaphisice [= *Met.* IX, 9, 1051a19-32].

***In XII libros Metaphysicorum Expositio, IX, lec. 10, ed. Marietti, n. 1894***

Sic igitur concludit Philosophus manifestum esse, quod quando aliqua reducuntur de potentia in actum, tunc invenitur earum veritas. Et huius causa est, quia intellectus actus est. Et ideo ea quae intelliguntur, oportet esse actu. Propter quod, ex actu cognoscitur potentia.

## BIBLIOGRAFIA

- T. AINSWORTH, “Form vs. Matter”, in *The Stanford Encyclopedia of Philosophy (Summer 2020 Edition)*, ed. E.N. ZALTA, URL = <<https://plato.stanford.edu/archives/sum2020/entries/form-matter/>>.
- V. BOLAND, *Ideas in God according to Saint Thomas Aquinas. Sources and Synthesis*, Leiden-New York-Köln, Brill, 1996.
- M. BORGO, “Early Aquinas on Matter. Notes on the Reception of the Aristotelian Corpus in the 13<sup>th</sup> Century”, *Tópicos, Revista de Filosofía* 45 (2013), 83-128.
- J.E. BROWER, “Matter, Form, and Individuation”, in *The Oxford Handbook of Aquinas*, edited by B. DAVIES, Oxford, OUP, 2012.
- J.E. BROWER, *Aquinas's Ontology of the Material World: Change, Hylomorphism, and Material Objects*, Oxford, OUP, 2014.
- G.T. DOOLAN, *Aquinas on the Divine Ideas as Exemplar Causes*, Washington, D.C., The Catholic University of America Press, 2011.
- K. FINE, “Aristotle on Matter”, *Mind* 101 (1992), 35-57.
- E. FIREMANS, “Aristotle’s Prime Matter”, *The Modern Schoolman* 85/1 (2007), 21-49.
- D.W. GRAHAM, “The Paradox of Prime Matter”, *The Journal of History of Philosophy* 25/4 (1987), 475-490.
- J.M. HAGGARTY, *The Principle of Individuation according to St. Thomas Aquinas*, PhD Dissertation, Boston, Boston College, 2015.
- M.A. KENT, *Prime Matter according to St. Thomas Aquinas*, PhD Dissertation, Fordham University, Fordham, N.Y., 2006.
- D.P. LANG, *The Thomistic Doctrine of Prime Matter*, «Laval théologique et philosophique», 54/2, 1998, pp. 367-385.
- F.A. LEWIS, “What’s the Matter with Prime Matter”, *Oxford Studies in Ancient Philosophy* 34 (2008), 123-146.
- J. OWENS, “Thomas Aquinas: Dimensive Quantity as Individuating Principle”, *Medieval Studies* 50/1 (1988), 279-310.
- J. OWENS, “Thomas Aquinas (b. ca. 1225; d. 1274)”, in *Individuation in Scholasticism. The Later Middle Ages and the Counter-Reformation 1150-1650*, edited by J.J.E. GRACIA, New York, State University of New York Press, 1994, 173-194.
- R. PASNAU, *Metaphysical Themes. 1274-1671*, Oxford, Clarendon Press, 2011.
- H.M. ROBINSON, “Prime Matter in Aristotle”, *Phronesis* 19/2 (1974), 168-188.
- A. PAYNE, “Gracia and Aquinas on the Principle of Individuation”, *The Thomist* 68/4 (2004), 545-575.
- D.E. STAHL, “Stripped Away: Some Contemporary Obscurities Surrounding ‘Metaphysics’ Z 3 (1029a 10-26)”, *Phronesis* 26/2 (1981), 177-180.
- J.F. WIPPEL, *The Metaphysical Thought of Thomas Aquinas. From Created Being to Uncreated Being*, Washington, D.C., The Catholic University of America Press, 2000.